A D
ALOYSIUM SECUNDUM CONTARENUM

EQUITEM, ET D. MARCI PROCURATOREM

GRATULATIO

JOANNIS BAPTISTÆ MODOLINI,

ECCLESIÆ CENETENSIS CANONICI.

Digitized by Google

O R A T I O.

QUAM Equiti clariſſimo, Parenti tuo, qui Vicetina, & Forojulienſi adminiſtratis Provinciis, Legatus poſtremo fuerat Viennæ ad Mariam Thereſiam, Hungariæ & Bohemiæ Reginam, in medio honorum curſu, immatura mors intercepit; hanc Tibi ampliſſimam Dignitatem, ALOYSI CONTARENE, Eques, & D. Marci Procurator, jam tum reſervatam præſenſeram, cum me, domi tuæ humanioribus Diſciplinis inſtituendus, recepiſſes. Videbam enim in Te inſita quædam ſemina Virtutum, quæ tempore, & cultu expedita in magnam creſcerent ubertatem: videbam, experrectam indolem, atque ad ſplendida facta comparatam, excitari quotidie magis Patriæ magnitudine, Generis nobilitate, domeſtica gloria, illuſtribus præſertim Parentis exemplis, quæ, quod recentiora eſſent, moverent vehemen-

tius animum , ingreſſumque jam Te ejus ſemitas , impellerent magis incitamentis ſuis : ut ſicuti hæres fuiſſes paterni ſplendoris , ita etiam virtutum extitiſſes imitator . Evenit , quod ante proſpexeram , hodierna die, qua Te in Magiſtratum Procuratorum cooptatum, univerſæ Civitatis tam ingenti conſenſu intuemur , ut ad tuorum ornamentorum amplitudinem novam iſtam Dignitatem , tanquam cumulum , acceſſiſſe , intelligamus . Nam quid aliud ſibi volebat tanta Optimatum frequentia ad tuas Ædes convolantium , cum vix deſignatus fuiſſes, niſi ut Matri tuæ , Uxori , Fratri non magis collatum Tibi honorem , quam ipſi Procuratorum Collegio Te datum ſodalem gratularentur ? Quid plauſus , & acclamationes Multitudinis , Familiæ tuæ promerita narrantis, & tua ? Quid poſtea tantus per Atria, & cubicula concurſus? Quid omnium exultantes præ gaudio animi, ac vultus hilaritate perfuſi? Illud ſane tempus nihil deſiderabat, niſi Te ipſum , in quem oculos defigerent, cujus oblectarentur colloquiis , & ſumma fruerentur humanitate . Tu vero interea fungebaris legatione tua , perficiebas, quæ ſupererant, quod Tibi contrahebatur temporis, aſſiduitate redimebas. Dies tandem illa illuxit , quæ Te reddidit Patriæ , reddidit Tuis . Re-

ver-

verſus es in amplexus cariſſimæ Conjugis, optatiſſimi Fratris, tuorum Filiorum. Acerbo enim fato e vivis optima Parens iis diebus erepta fuerat; ut intelligeremus, nullam in terris ſolidam exiſtere felicitatem. Conventus iterum in tua domo, repetiti plauſus, inſtauratæ gratulationes, tantumque a conſpectu tuo jucundiſſimo afficiebantur, quicumque aderant, ut tui reditus ſolummodo ſtudioſi, novæ dignitatis pene obliti putarentur. Iſta quidem eſſe poterant exiſtimationis indicia, quam parere ſolet illuſtre genus, & virtus ſingularis: ſed verius fortaſſe repeto a ſuavitate tuæ indolis, facile ſibi conciliantis animos, pertrahentiſque in ſui benevolentiam, & admirationem. Hæc Tibi Procuratori deſignato delata fuere: multo majora ſunt, quæ ſolemnis iſta Pompa Tibi eidem, in novi Muneris poſſeſſionem venienti, paravit. Perſonant Viæ, perſonant Fora majoribus concurſantis Populi acclamationibus: longus Patriciorum ordo conchyliatis indutus Togis: tota Civitas effuſa ſedibus ſuis: Magnifici ubique ornatus, ubique lætitiæ argumenta. Neque Ego cum hujus diei celebritate conferam Romanorum Triumphos, in quibus licet ſpectatorum oculos perſtringerent vis magna auri, & argenti, immanes ſpoliorum acervi, ablata ſigna, tripudia

ovantis exercitus, Imperatoris majeſtas, totius Pompæ ſplendidiſſimus apparatus; tamen multa erant, quæ non parum fœdarent Spectaculum, atque a miſero adſpectu averterent indignitate ſua: cruentata ſaga, ſordidatæ Chlamydes, deformata Ora, Captivorum vincula, Urbium imagines, Regum ſqualor, ante Victoris incedentium Quadrigas. Iſta enim revocabant in mentem Provinciarum calamitates, depopulationes agrorum, oppida æquata ſolo, locorum ſolitudinem, ſuperſtitum miſerias, fortunæ certe inconſtantiam, & mutationem. Qui ſane adſpectus jucundus eſſe poterat in ea ſolum Urbe, quæ cædibus adſueta inter ipſas ortum habuerat, & incrementum, ac nondum opibus, & luxu a feritate ad manſuetudinem translata fuiſſet: non autem in hac Civitate, quæ ſolo ſtudio libertatis conſociata, lenitatis fama, ſanctitate legum, moderatione imperii adeo crevit, adeo ſtabilita eſt, ut paucis invideat magnitudinem, nulli felicitatem. Hæc vero dies nihil habet miſerum, nihil crudele: omnia læta, omnia pacata, Patriamque refert inclyti Civis virtutes, & benefacta Pacis triumpho decorantem. Atque hinc oritur Gratulationis argumentum: ſcilicet Procuratoris Dignitatem non minus auctam ab ALOYSIO CONTARENO, quam ALOYSIUM

CON-

Digitized by Google

CONTARENUM a Procuratoris Dignitate ornatum fuiſſe.

Illa mihi ſemper optabilis conditio viſa eſt, qua in aliqua præclara Urbe naſci contingit, ibique vitam traducere, ubi virtus enitere poteſt, & egregia facinora præmiorum amplitudo remunerari. Solet hoc uſuvenire in Plantis, quæ ſi lætæ ipſæ, in læto etiam ſolo conſitæ ſint, quam foliorum viriditatem vere extulerunt, eamdem pomorum copia æſtate, vel autumno refertam oſtendunt. Inter præſtantiſſimas Urbs hæc Venetiarum ſemper reputata fuit, quam non ſolum, tanquam Arcem libertatis ſuſpicimus, legum tamen præſidio munitam ad juſtitiæ propugnaculum, unde incolarum tranquillitas ſervatur, ſed etiam tanquam latiſſimum Campum, in quo exerceri poſſit induſtria ad aliorum utilitatem, & cumulatam benefactorum mercedem reportare. Hoc præſertim datur iis, qui ſummo loco nati, Reipub. veluti membra, in unum corpus conjunguntur, multo fortunatiores, quo poſſint aliis benefacere, aut levanda calamitate, aut propellendis injuriis, aut augenda conditione, aut etiam ſecuritate paranda univerſæ Civitatis. Inter hos extant aliqui propter quamdam rerum peculiarem experientiam, propter ſingularem Majorum famam, qui-

bus graviores Magiſtratus, ampliora munera, ſplendidiores Dignitates tribuuntur, iis tamen finibus circumſcripta poteſtate, quibus communia jura integra maneant, atque auctoritas nullo modo libertatem lædat ſed ipſius tutela ſit, & ornamentum. Profecto in tam bene conſtituta Repub., inter tam moderatos Cives, nequaquam earum legum ſeveritate opus fuit, quæ adverſus etiam eximiam probitatem, quæ legibus potius tutanda erat, inventæ aliquando fuerunt, quod legimus Athenis uſurpatum in Ariſtidem, qui damnatus fuit, quod præter cæteros Juſtus appellaretur. Fortaſſe illa Teſtula neceſſària erat in Civitate, quam continebat timor, & ſuſpiciones, non amor, & caritas: quæ regebatur imperitia, ac temeritate Vulgi non quæ Optimatum conſilio, & gravitate, inter quos qui excellunt, non aliunde amant ſuam magnitudinem, quam a Patriæ ſplendore, & libertate illuſtrari. Excellit maxime Procuratorum D. Marci Magiſtratus, qui a ſacris ortum habuit, atque a primis uſque temporibus in ſummo honore fuit, exemplo quidem Augurum apud Romanos, cauſſa tamen multo juſtiori. Magnificas illi habent Ædes in Foro, habent Templi tutelam, adminiſtrationem pecuniæ, privatorum liberalitate legatæ Principi,

Pu-

Pupillorum, Viduarum, Puellarum, periclitantium, Egenorum curam. Procurator eſt, qui majora Comitia, tanquam cuſtos in Foro tutatur cum excubiis: Procurator, qui ſine nova ſuffragatione Senator perpetuus in Senatum venit cum ſuffragio: Procurator, qui ſuam non niſi cum vita dignitatem deponit. Ex hoc fere Collegio eliguntur, quibus honorificentiſſima munera committantur, ex hoc qui illis præſint Magiſtratibus, ubi non niſi maximi, ac probatiſſimi Senatores ſolent collocari. Profecto Reipub. adminiſtrationes præcipuæ ſternunt veluti iter ad hunc Ordinem, atque etiamſi optimorum Civium labores, vigiliæ, ſtudia, impenſæ ſpectent primum ad Patriæ gloriam, & incolumitatem; tamen ſi quid ſibi etiam, & familiæ proponant; Procuratoris fere ſedem, tanquam metam, intuentur: non ut in ipſa, ſicuti in portu poſt longam navigationem gubernator, quaſi ſua vice jam defuncti, conquieſcant: ſed ut ſui labores ſua conſilia, ſua recte facta, munera ipſa novo hoc, & præſtantiori ornamento illuſtrentur, quod uno duntaxat gradu a ſummo diſtat faſtigio, in quo Principis majeſtas ſplendeſcit. In hoc igitur ſublimi loco, Eques, & Procurator, poſuerunt Te Cives tui, cujus quamquam per multos annos, fato quodam Familiæ

tuæ, intermiſſa poſſeſſio; tamen jure quaſi poſtliminii ad Te pertinebat: cum antea uſitata res eſſet in iſta domo clariſſima munera, & ampliſſimæ Dignitates. Atria licet luſtrare: conſpiciemus immortales Viros, atque eos non totius Contarenæ Gentis, ſed hujus ſolius familiæ, in Tabulis longo ordine diſpoſitis, qui ad ſummum Principatus culmen evecti fuerunt, qui Procuratores extitere, qui equites: quæ decora adepti ſunt ſtrenue, integreque domi, ac foris adminiſtrata Repub. Longum eſſet commemorare Viros, longius recenſere facta, quæ ſane omnia, antiquitatis cuſtos, hiſtoria Venetorum annalibus, atque exterorum monumentis ſervat ad poſteritatem tranſmittenda. Ad tantum hujus Familiæ magnitudinem acceſſere nuptiæ Mariæ Carrarienſis, Jacobi Patavini Principis Filiæ, quæ ſanguine ſuo illius claritatem auxit atque opes patrimonio amplificavit. Plateolæ hoc indicant magnificæ Ædes, latifundia, feudalia jura, quæ tamen jura abdicarunt Poſteri; ne velle viderentur auctoritate creſcere, niſi Patriæ beneficio, aut affectare poteſtatem, quæ non omnium Civium comunis eſſet. Neque porro ſplendor ſolum exiſtit in rebus præclare geſtis, & onoratis viris: habet ſuas laudes quieta etiam, & privata vita, ſtudiis præſertim, & doctrinis exculta. Qui

ve-

vero utrumque conjungit, quod apud Romanos fecere inter cæteros M. Cato, C. Cæſar, M. Cicero, & multo plures in hac Civitate; is gloriæ apicem attigiſſe videtur. Juvat enim, qui vivunt factis, qui vero futuri erunt etiam ſcriptis ſuis. In hac nobiliſſima domo multi hujuſmodi extitere. Floruit inter illos maxime Franciſcus Contarenus ſæculo XV., qui poſtquam Magiſtratus domi, Præturas in Provinciis geſſit, poſtquam Venetorum copiis Florentinorum incurſus Senis avertit, poſtquam Romam ad Pium II. legatus fuit; ad ſua ſtudia ita ſe totum contulit, ut propter eximiam rerum notitiam vulgo Phloſophus vocaretur. Hujus viri inclyti memoriam, præter illius expeditionis commentarium ab ipſo editum, ſervant Ateſtinæ Ædes eruditis refertæ monumentis, inſculpti lapides Romanam vetuſtatem redolentes, ſapientum ſententiæ in tabulis exaratæ, hoſpitalia Jura propoſita advenis antiquo ſtilo, hetruſca vaſa, ſepulcrales urnæ, lucernæ æternæ Nocti ſacratæ: ne plura, Muſarum domicilium: ut non magis elegantis Senatoris opes reliqua ſupellex oſtendat, quam præclara antiquitatis veſtigia exculti hominis eruditionem. Hæc, & multa alia fuere decora paternæ originis: neque minora ſunt, quæ in ipſam Maternum genus derivavit.

a 6 Ha-

Habuit illud etiam Senatores plurimos, ſtrenuos Duces, Equites multos, Procuratores, Principes. Atque ut alios prætercam monent ſcribentem Gaſpar, & Aloyſius Contareni, quorum ille, cum jam ſuam Reipub. operam naviter præſtitiſſet, muneribus geſtis, & Legatione ad Carolum V. Cæſarem, libris etiam ſcriptis de Repub., & Magiſtratibus Venetorum; eo ipſo tempore, quo inter Sapientes Magnos ſedebat in Curia, a Paulo III. Romam arceſſitus, quem fama moverat tantarum virtutum, in Cardinalium Collegium adſcriptus fuit, in graviſſimis negotiis adhibitus, atque ad Ratiſponenſem Conventum legatus, ut diſcordias inter Carolum eumdem, & Franciſcum I., Galliarum Regem, componeret; illoſque in fœdus adverſum Turcas conjungeret, qui multis elati victoriis ferrum, flammamque ipſi Italiæ minitabantur. Aloyſius vero apud ſuos valuit plurimum: ſed laudem multo majorem ex Legationibus acquiſivit. Mitto cæteras: in ſummis enim viris non niſi ſumma memorantur. Venit ille Byzantium ad Amuratem IV., impotentis animi Principem, ac maxime propter Piratarum cædem, ad Aulonem factam, in Venetos furentem. Hic quamvis in cuſtodia teneretur, Cauſſæ æquitatem, ac jura Patriæ conſtanter defendit, neque Adminiſtro-

Digitized by Google

ſtrorum aſtu deceptus, aut fractus minis quicquam vel abjectum ſenſit, vel timide expoſuit, atque dexteritate ſua molitus eſt, ut niſi Amuratis ira deſerbuiſſet, de nova adornanda Claſſe, auxiliis aucta fœderatorum, cogitaretur. Compoſitis tandem rebus reverſus in Patriam mittitur ad Comitia, Monaſterii in Weſtfalia habita, ad quæ totius ferme Europæ Principum Oratores convenerant, ubi cum multæ, graveſque contentiones dirimendæ eſſent; Aloyſius Contarenus aliquas cum Fabio Ghiſio, Pontificis Legato, plures ſolus ita ſedavit, ut niſi novi motus aliena fraude excitati fuiſſent, tot, tantiſque Nationibus tranquillitatem reddidiſſet. Ex hac tam illuſtri Familia ea tandem prodivit lectiſſima Matrona Paulina Contarena, in cujus nobilitatem non domeſticus tantum ſplendor, ſed ipſa etiam fata conſpirarunt: ut conjugio ſuo Domum ſtabiliret multa ſobole, quæ antea per plures ætates in unius vita Filii, poſthumi etiam aliquando, nitebatur. Contigit hoc certe in Marco Contareno Equite, cujus Mater Catharina Cornelia, nuptiali vix extincta face, ardere funebres vidit, ſolata tamen importunam viduitatem virili prole, præter ſpem concepta. Paulina Contarena fuit, quæ hanc ipſam Domum erexit, atque rurſum ejus aditum pene intercluſum libere aperuit

Ma-

Google

Magiſtratuum inſignibus, Ducum, Legatorum, Equitum, Procuratorum, Principum. Hæc Matrona fuit, quam probatæ vir ſanctitatis tanto ante proſpexerat, qui, ut ejus teſtantur litteræ, atque conſtans fama, prænuntiavit: Familiam hanc ex paucitate ſucceſſorum occaſum ſæpe minitantem, tunc eſſe omnino reparandam, cum duæ Contarenorum Stirpes copulatæ nuptiis, in unam coaluiſſent. Reparavit hæc fatalis Fœmina: vivunt, vigentque Contareni Fratres Aloyſius primus, & Aloyſius ſecundus ætate jam virili, inſtaurata iterum in Natis præclaræ indolis, Aloyſio altero, & Hieronymo, quibus acceſſere elegantes Puellæ. Neque hic conſtiterunt præſtantiſſimæ hujus Matronæ promerita: fortunæ iſta fuere, cetera ſunt virtutis. Illa, illa Mariti Legationem, gravi, diuturnoque morbo impediti, Viennæ ſuffulſit prudentia, laboribus, vigiliis, induſtria ſua: illa jacentis lecto adſidebat, narrabat facta, excipiebat monita, mandata exſequebatur: in Aulam veniebat ſtatis diebus, agebat cum Proceribus, cum aliis Legatis, explebatque partes, quæ Viri fuiſſent, & ſuæ. Illa tandem, ipſo e vivis ſublato, onus ſubiit Familiæ, educandos curavit diligenter liberos, arceſſitis Magiſtris, qui domi docerent, qui ad externas Regiones proficiſcentes comitarentur; ut morum va-

rie-

rietatem cognoſcerent, diverſa inſtituta, cultum, ritus, artes; regimen aliarum Gentium, quarum rerum notitia magno cum fructu in loco uterentur. Duas etiam Filias in matrimonium ſplendidiſſime collocavit, neque paſſa eſt, optima adminiſtratione, ac patrimonio ſuo, Familiam ex tantis impenſis gravem facere jacturam. Nempe talis Matrona, Eques, & Procurator, fuit Mater tua, quæ ſicuti magnam præterito tempore mercedem ſuorum meritorum ex tuis retulit ornamentis; ita maximam ſolemni hac die, qua Te videret in tam ſublimi ſede locatum, ſi vixiſſet, conſequeretur. Illa Te talem genuit, talem educavit, talem inſtituit, ut fundamentum jecerit tantæ tuæ magnitudinis.

Atque eo devenit Oratio mea, quo hæc potiſſimum ſpectabat Gratulatio. In hac tam inclyta Patria, in hac tam illuſtri Domo, inter tot Majorum monumenta natum Te fuiſſe, quid ad gloriam conduceret, niſi Tu ipſe dotibus tuis magnus eſſes? Quid agnatos habere Contarenos, cognatos Cornelios, & Piſauros? Quid junxiſſe affinitates cum Veneriis, Grimanis, & Superantiis, cum Barbadicis, Maurocenis, & Legiis; ſi tanta nomina tuis virtutibus ſuſtinere non poſſes? Dedecus iſta potius auxiſſent, ſi degeneraſſes a Tuis. Quam enim excuſatio-

492

tionem haberet obſcuritas in tanto Patriæ ſplendore, abjectio in tanta generis nobilitate, inertia inter tot geſta Tuorum? Exempla tam illuſtria, quæ Tibi prompto, & alacri gloriæ ſemitas luce ſua indicarunt, atque fuere ſtimulus ad ſtrenue progrediendum, inerti aut lento exprobrarent deformitatem. Nam jacere, oſcitari, torpeſcere, vix damus iis, quos humili loco natos non excitat Patriæ lumen, non erigit fama ſuorum, non urgent domeſtica facta. Fortunæ quidem tuæ fuit, Venetiis Te natum fuiſſe, ex Contarenorum ſanguine, in domo tam multis honoribus decorata: fortunæ fuit, experrectum habuiſſe ingenium, facilem indolem, aptam inſtitutionem: fortunæ fuit, opibus affluxiſſe, quibus longa itinera aggredi decenter poſſes, & Legationum impenſas ſubire: fuit vero tuæ virtutis, uſu acuere ingenium, fovere indolem cultu, ex itineribus arripere documenta vitæ, divitiis ſplendide uti: fuit virtutis, Patriæ gloriam, & Generis nobilitatem, tanquam normam tuorum conſiliorum tibi proponere, atque tua facta ad utriuſque exemplum accomodare. Habent ætates ornamenta ſua, ſicuti habent & vitia, quæ vitia vel aliena cura corriguntur, vel a natura ipſa vergente in honeſtatem. Modeſtia, pudor, docilitas, manſuetudo, obſequium

in

Digitized by Google

in bene morata adoleſcentia eſſe ſolet: excipit hanc juventus, in qua conjungitur prudentia, magnanimitas, conſtantia, gravitas, quibus virtutibus præparatur honeſtiſſima ſenectus. Hæc Tibi ſubſidia adoleſcenti, & juveni natura largita eſt, quæ cultus auxit, & uſus, Patriæ, & generis roborarunt exempla. Vix enim ex ephebis egreſſus, qualis eſſes adoleſcens, qualis vir futurus oſtendiſti. Nihil antiquitus Tibi erat pietate in Patriam: ad Patriam ſpectabant conſilia, ſermones, curæ tuæ. Jam tum Senator, Sevir, Legatus eſſe incipiebas, cum domi tuæ Patriciorum adoleſcentium, Te auctore inſtituta Societas, qui parati ad dicendum frequenter conveniebant, magiſtratus creabant, argumenta offerebant in medium, quæ ad Reipub. gubernationem pertinerent, de Commercio, de Vectigalibus, de annona, de re nummaria, de militari, de Claſſibus, de Legationibus: diſputabant alii in alias diverſi ſententias, probantibus reliquis ſuffragio ſuo, quæ magis placuiſſent. Simulata Curia erat, umbratilis Senatus. Equidem ſcio, laudabilem iſtam conſuetudinem apud Romanos etiam olim viguiſſe: non eam tamen, quæ tam prope Rempub. attingeret. Dicendi facultas erat id temporis, quæ viam facile pararet ad munera obtinenda: periculum faciebant in

fo-

foro, opibus, & Capite Civium defendendis: accuſando etiam crevere multi: inde in Curiam, atque ad Roſtra gradus fiebat: diſputando perſuadebant Patribus, aut Populo bellum gerendum, fœdera, inducias, pacem, novam condendam legem, vel conditam antiquandam, aut alia, quæcumque e Repub. eſſe cenſuiſſent. Hac de cauſſa coibant ſtudioſi Adoleſcentes apud egregium aliquem Oratorem, a quo bene dicendi artem perdiſcerent; ut privatis diſputationibus adſueti, ad forenſem Palæſtram primum tranſirent, & qui erant aptiores, nec obſcuri nominis, candidati poſtea Quæſturam peterent, Præturam, Conſulatum, quibus ſibi liceret agere cum Populo, vel ſaltem in Curiam adſcriberentur. Ex illa quidem inſtitutione Oratores reddebantur non Patres, artem dicendi percipiebant, non gerendi magiſtratus, verſandi ante ſubſellia Judicum, non adminiſtrandi Rempub. quod, non niſi longo uſu Senatus, adſequebantur. Ex hac vero Senator prodiiſti, antequam fieres, Civitatis noveras tractare gubernacula, antequam ad clavum ſederes. Jam tum Cives tui Te deſignarant, cui committerent graviſſima negotia, ſupremam militiæ curam Navalium, publici Ærarii. Orbatus Avis, orbatus Patre adiiſti Rempub. ſimul ac tulit ætas, inter Sapientes, qui Continentis

vo-

vocantur, electus fuiſti, in quo gerendo munere, quam prudentiam, fidem, ſedulitatem oſtenderis, judicio ſuo comprobavit Senatus, qui tibi pro tua moderatione inſperanti, aliis tamen omnibus deferentibus, Seviratum contulit, hoc eſt inter Sapientes, qui Magni dicuntur, ſedere Te juſſit, quibus pars præcipua Reipub. concredita eſt, in quorum cura acquieſcit Senatus, atque fere in ipſis ejus auctoritas apparet. Vix in eo loco poſitus fuiſti, cum talia ſtatim dediſti argumenta ſapientiæ, eloquentiæ, uſus, ut novus Sevir cum veteribus; integritatis, aſſiduitatis, diligentiæ, ut cum probatiſſimis poſſes comparari. Virtuti tuæ ipſa ſe ſociam, in te augendo, fortuna adjunxit. Multa enim evenerunt, in quibus tua exerceretur induſtria, pateret fides, prodiret conſilium, emineret eloquentia, quæ poſtrema non ſtipata erat laterum magna firmitate, nec voce valde robuſta, ſed ſoliditate Cauſſæ, argumentorum pondere, & pacata oratione. Sevirum iſtud Collegium ferme eſt, ex quo vel jam cooptati, vel qui prope ſunt, ut cooptentur, ſeligi ſolent, qui legentur ad ſummos Principes, atque hoc optimo inſtituto, ut res graviſſimæ a peritiſſimis agerentur. Legationes honeſtiſſimæ ſemper habitæ fuerunt, illæ maxime, quæ ſunt extra ordinem, ut hæ plerumque ipſis Procuratoribus, qui a

mu-

Digitized by Google

496

muneribus extra Urbem excuſantur, committi ſoleant. Legatio extra ordinem decernenda erat ad Sardiniæ Regem: nondum Procurator, nondum Eques totius Curiæ ſuffragiis Aloyſius Contarenus Legatus renuntiatur. Videamus, quibus adjumentis tantam dignitatem ſicuti & ceteras, adeptus ſit: adeptus eſt ornamentis, meritiſque ſuis. Profecto ſi veteres revocamus ætates, Familia hæc inter maxime honoratas Gentis ſuæ enituit, Gens hæc ſemper cum ſplendidioribus certavit generis antiquitate, gloria recte factorum, muneribus, dignitatibus, faſtigio ipſo Principatus. Sed quod per multos annos vix unus fuerit, qui ante ſucceſſorem datum non ipſe decederet: Matre etiam ſola tunc ſuperſtite ex domo ſua, paucos admodum ille habuit Propinquos, qui ambirent, qui prenſarent, qui peterent, non Patruos, non Patrueles, non Avunculos, non Conſobrinos; ut parvus remaneret locus obſequiis, commendationi, gratiæ. Memoria quidem Paternorum promeritorum, quæ animis alte inſidebant, Prætura Aloyſii Fratris, quam Veronæ ſumma integritate, ac magnificentia paucos ante annos geſſerat, juvare poterant: ambitus, prenſatio, petitio non poterant: non illius qui multo ante mortem occubuerat, non hujus, qui, rerum publicarum depoſita cura, intentus ſtudiis ſibi vivebat:

Pa-

Patria tamen confidit, optima illius jam probata adminiſtratione, ſe ejuſdem rurſus opera uſuram, & quos natura junxit claritate ſanguinis, & gloria majorum, eos meritis pares, etiam honoribus æquaturam. Probitas tua Eques, & Procurator, fides, moderatio, ingenium, induſtria, diligentia, quotidiani labores, nocturnæ vigiliæ, iſta Tibi Senatoris gradum, Seviri auctoritatem, Legati decus, Procuratoris dignitatem contulerunt. Legationem extra ordinem decretam ad Regem Sardum, ſequuta eſt altera ad Cæſarem, cujus licet acerba recordatio, promto tamen animo Senatus juſſibus obtemperaſti: Matri, atque Conjugi teneros Natos, rem familiarem, domum totam commendaſti: brevi tempore paranda curaſti omnia, quæ digna eſſent Contareni nominis, digna Familiæ tuæ, digna paterni exempli. A ſinu Tuorum divulſus Patriæ caritate, arripuiſti iter, Parentis nondum deleta veſtigia ingreſſus, cujus memoria non minus ex ore, & indole, quam ex dignitate, & ſplendore in omnium animis reviviſcebat. Puerum Te in illa Legatione cum Patre tuo viderat Cæſar fere æqualis, delectabatur pudore, & ſuavitate, præſentiebat virtutes trahebatur in Tui benevolentiam. Legatus Tu ipſe ad illum rediiſti. Inveniſti Tu ibi, quæ ſuſpiceres, & venerareris in tanta Auguſti Principis Ma-

je-

444

jeſtate: invenit ille, quæ diligeret, & commendaret in tanta Legati amplitudine. Statim enim prodire cœpit prudentia tua in rebus tractandis ex ipſarum ſucceſſu, ſtudium erga Patriam ex cura, & aſſiduitate, indoles ex adſpectu, moderatio ex moribus, & ſermone, magnitudo animi ex munificentia, Marci Contareni Filius ex omnibus. Teſtata iſta Ornamenta tua ipſe reddidit Cæſar, quo tempore Venetiis fuit, Uxoremque tuam, præſtantiſſimam Matronam inviſit, moratus multa affabilitate, tuam illi valetudinem affirmavit, commemoravit virtutes, quas ante coram aliis prædicarat. Reverſus tandem Cæſar eſt ad Auguſtam Matrem, in conſpectum ſuorum: Ea Te ille tunc recepit humanitate, qua ante conſueverat, neque quicquam toto Legationis curſu de ſua erga Te benevolentia, & exiſtimatione immutavit. Inter hæc Joannem Marcum Calbum Procuratorem Mors Reipub. ademit. Dii boni, quem Virum! eum ſcilicet, in quo antiquæ probitatis inerat imago, qui ſua integritate, gravitate, conſtantia veteres illos Romanos, Curios, Fabricios, Papirios, Camillos revocabat in mentem, cujus in locum Majoris Conſilii ſuffragiis, abſenti etiam ratione habita, ſuffectus es, placuitque optimo ſeni ornatiſſimum Juvenem ſubrogari. Ornatus tanta dignitate in Pa-

triam

triam tandem rediiſti. Neque tunc Majori Conſilio ceſſit Senatus in Te ornando muneribus ſuis. Januariæ aderant Calendæ: novi erant adſcribendi Seviri: nondum Procurator publice prodieras, nec Tibi per leges uti interea uſitata veſte licebat, non Collegium ingredi, non Curiam, ut Tibi rite Seviratus committeretur. Ancipites Patres movebat hinc legum auctoritas, hinc Reipub. utilitas: illorum providit Sapientia: ut nihil de legum gravitate, aut de tua dignitate diminueretur. Sevir electus es, ſingularis veſtis decreta, qua, niſi per hoc tempus Collegium, vel Curiam ingredereris, quod lege vetitum erat; Conſultationibus, quod ſatis erat Reipub. intereſſes, quæ maxime conſilium, & experientiam requirunt, & ex quibus præcipue optimus deliberatarum rerum eventus proficiſcitur. Jam Procurator ſedes inter nobiliſſimos Collegas, inter quos præcipue lætitia geſtiens Te amplectitur Vir ampliſſimus, Hieronymus Venerius, Socer tuus, qui non minus de tuis præclaris virtutibus, quam de collato honore gaudet ſibi, gaudet Natæ ſuæ, quam auſpiciis adeo felicibus Tibi Conjugem dedit, pares conjunxit animos fide, innocentia, pudore, ſuavitate, amore. Itaque gratulor Tibi, quod eam Dignitatem adſequutus es, qua ſolet Cives optime meritos remunerari Reſpub.: gratu-

tu-

500

tulor Patriæ, quæ properantibus ad gloriæ faſtigium animum auget tam illuſtri liberalitatis exemplo: gratulor Fratri tuo, qui Familiæ clariſſima honorum inſignia, adverſo fato intercepta, per Te videt reſtituta: gratulor Uxori tuæ, in quam, ſuis jam multis, magniſque dotibus ornatam, totus Viri ſplendor propter arctiſſimam ſocietatem derivatur: gratulor tandem Liberis tuis, quibus in ſpem Patriæ natis, luculenta Patris Veſtigia facile paraverunt iter, ad ſubſequendum: atque ex his omnibus concludam: Uſque dum ſuus Virtuti conſtabit honos, & Civium recte facta mercede tam ſplendida cumulabuntur; ipſos etiam ſtudio, cura, laboribus, impenſis nunquam Reipub. defuturos.

VENETIIS
EX TYPOGRAPHIA C. PALESE;
MDCCLXXVIII.

5867210